

tei ut novum sanctificatus

ut in ore domini omnia in

meum quod tamquam alle

¶

A

epleti

sunt omnes M

ov nicht von ab

42

Ug 17, 9

IN NOMINE JESU!  
Dissertatio Philosophica.

*DE*  
**HIBERNACULIS**  
**HIRUNDINUM**

*Quam,*  
Consensu incluti Ordinis Sophici  
in Alma Lipsiensis,  
SUB PRÆSIDIO  
VIRI

*EXCELLENTISSIMI ATQUE CLARISSIMI*  
**DN. M. JACOBI THOMASII,**  
Philippeæ Dialectices Professoris celeberrimi, Col-  
legii Principum Minoris Collegiati Dignissimi, Præceptoris & Patroni  
sui etatèm devenerandi,

*Publicæ ventilationi subiicit*

**CHRISTIANUS SCHMIDICHEN,**

Sittâ-Lusatus


MAGISTERII Candidatus,  
A. & R.

*ad diem 4. Decembris*

ANNO  
Partæ Salutis  
M. DC. LVIII.

---

L I P S I A E,  
LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS.





§. I.

**S**ubtrahi per hibernos menses conspectui nostro hirundines, etiam pueri sciunt; qvō abeant, qvæ item abeundi, commorandi, redeundi illis sit ratio, non perinde notum est. Qyare facere nos rem *Propositio*, his temporibus non incongruam arbitrati sumus, si in earum hibernacula inquireremus; ac præterea utillem ad alia studiorum genera, qvōd ex illâ commemoratione exstrui posse videremus pulcherrimas commonefactiones plusculas. Et ita dissertationis hujus duæ se nobis partes sponte obtulerunt: *Theoretica* una, & ea quidem *Physicæ Speculationis*; *Partitio*. a'lera *Præctica*, qvæ prioris usum in varias diffundet disciplinas alias.

§. 2. Operæ verò pretium est, sub unum conspectum ponere *Scriptores* statim præcipios auctorum, qvibus ia hoc negotio usi sumus, locos, de hoc arne eosdem citare sèpiùs cogamur. Inspecti sunt nobis *Hesiodus* gumento, lib. II. l. v. 186. & ibi *Riccius*; *Aristot.* VIII. Hist. animal. 12. & 16. & i. Nicom. 7. ibiç *Eustratius*: *Plinius* II. Hist. mund. 47. & X. 24. & XVIII. 26. *Aelianus* I. de nat. animal. 52. *Martialis* V. Epigr. 68. & ibi *Raderns* fol. 415. 416. *Claudianus* I. in *Eutrop* v. 117. 118. & ibi *Barthius* p. 1296. seqq. ed. recentiss. *Isidorus* XII. orig. fol. 308. ed. *Vulcan. Georgius Pisides* *Koruyer* v. 1295. seqq. *Barthol. Anglic.* XII. de propriet. rer. c. 21. *Alcianus* Emblem. 100. & ibi *Minos. Luther* in c. 1. Gen. f. 12. & *Eischi.* c. 49. f. 365. *Mich. Neander* part. I. Phys. p. 432. & in *Patrum* sententius catechesi græcol. adjectis p. 241. & *Theol. Christianæ* p. 700. (eadem his tribus locis iisdem verbis memorans:) *Olans Magnus* de gentib. Septentr. lib. XIX. c. de *Hirundinibus* p. 385. *Gasp. Heldelinus* in *Encom. Ciconia* p. 103. 104. *Pierius* lib. XXII. Hierogl. c. de *Hirundine*. *Franzius* parte II. Hist. animal. c. 21. *Hier. Elverius* c. 76. *Deambul. Vern.* p. 141. 142. *Bodil*.

nus Theat. Nat. p. 363. 364. 365. Gerhardus Tom. VIII. loc. Theolog. tract. de Resurrect. n. 32. p. 1067. Henr. Ranxoviis Calendar. sub Martio p. 44. Schwenckfeld Theriotroph. Siles. p. 286. 287. Heidfeld. Spheg. c. 6. p. 161. edit. A. 1631. Martin. Zeill. Cent. II. Epist. 82. Job. Henr. Ursinus Analect. sacr. lib. III. c. 6. seqq.

### PARS THEORETICA.

**Hirundines quando discedant?** §. 3. Initio videndum est de tempore; quod discedere incipiatur hirundines. Aristoteles generatim de avibus frigora fugientibus sic pronunciat: Post autumna equinoctium ex Ponto, locisq; frigidis fugient hyemem futuram; post vernum autem ab astris metu astum redire in frigida.

§. 4. Hoc ipsum speciatim ad hirundines quoque pertinere, nemus ignorat. Itaque jam *autumno*, jam post *aestatis* ac *Muscarum interitum*; jam sub *equinoctium autumnae* ait, eas abire, Bodinus: *equinoctii autumnalis tempore* Raderus; post principium *autumni*, Olaus; *Arcturo oriente* Plinius; idem alibi *hibernis mensibus*; adveniente *hyeme* Minos. Si Metsem ipsum audire placet, *Augustum* nominat Ranxoviis; Schwenckfeld *Septembrem*. Hoc quidem anno eas d. 13. & 14. Septemb. apud nos evanuisse, observatum est.

**Quare?** §. 5. Ex hac temporis notatione facile causam estimare licet discessionsis. Fugunt enim inimicum sibi anni tempus. In Naturae consilium eleganter inquit Bodinus his verbis: Cum hominum alimentis omnino inutiles sint, nec cibum hyemam reperire, nec avium rapacium cibo inservire queant, (omnes enim incredibili celeritate pretervolant) post *aestatis* ac *muscarum interitum*, officio, quod illis à Conditore prescriptum erat, perfundit, ne post *equinoctium autumnae* flantibus Coris intereant, ad oras maritimis gregatim feruntur. Et postea: Ob id hirundines sub *equinoctium autumnae* discedunt, ne spirantibus Coris, qui sole Scorpionem subente flare incipiunt, ab imbris frigidis pereant, id enim certissima experientia cognitum est, nec ultra vivens comperta.

**Quo?** §. 6. Difficilior est quaestio quod discedant? Distinguit hic Aristoteles. Eas enim quae propè absunt à tepidis oribus locis, eo transvolant (locus Ari- re; quae procul, in latebras se abdere: oī μετάπολις ὥρες (ταῦ οὐρανοί) θεότητος, ω̄ οἰκέται Διονύσου, οἱ ιντινοὶ καὶ κολοδοῖς, οἱ καρκανοῖς εἰλαύθη, οἱ τὸ πομπόνερα ἥρες τὸν τοιάσιον, οἱ εἰποτούσι, οἱ μαργαριτούσι εἰνες).

S. 7. Se-

§. 7. Seqvitur statim: *h̄d̄ v̄d̄ d̄m̄t̄v̄ c̄t̄ v̄d̄ x̄l̄d̄v̄ c̄t̄ v̄d̄* ex *ār̄ȳc̄ōs̄ īf̄ī*  
*v̄d̄v̄v̄ p̄d̄p̄t̄v̄*. Verit Gaza: Jam enim v̄s̄e sunt multe hirundines in  
angustiis convallium nude atq; omnino deplumes. Arystea exposuit angu-  
stias convallium, qvod & Hadr. Junius in Lexico observat. Sed for-  
tasse legit *ār̄ȳc̄ōs̄*, qvod Casaubonus etiam mavult: *ār̄ȳc̄ō* enim  
vallis est. Qvod autem *ār̄ȳc̄ōs̄* pluribus verbis nudas atque deplu-  
mes interpretatus est, vix dubium q̄ in è Plinio stylum mutuatus  
tuerit.

§. 8. Sicuti Plinium erendas ex Aristotele prompsisse. Sed di- cum Plinii  
stinctè Aristoteles, alias in loca tepida, si vicina sint, peregrinari, cœ- no collatus.  
teras occultari. Confusa h̄c sunt apud Plinium: Abeunt & hirun-  
dines hybernis mensibus. Sed in vicina abeunt, apricos sequunt montium  
recessus, inventæ jam ibi sunt nude deplumes. Similis confusio in  
his Schyvenckfeldii: Ad Arcturi ortum in loca vicina tepidiora sece-  
dunt, & in angustiis montium recessibus se condunt. Rectius Elverus at-  
que Franzius, qvi h̄c cum Aristotele distingvunt. In locum Plinii  
infrà §. 20, plura inqviremus.

§. 9. Omnidò ad hirundines applicanda pulcherrima Philoso-  
phi similitudo: ut hominum alii domicilia hyeme mutant, (r̄as oīas r̄as  
χρ̄ῡp̄t̄ μεταβάσ̄t̄), minùs rectè Gaza: Domicilia hyeme repetunt,) alii, qui ampliores provincias tenent, abetatem quidem in frigidioribus,  
hyemem in tepidioribus agunt: sic & brutorum, quæ mutare sedes pos-  
sunt, alia in ipsis consuetis regionibus subsidia inveniunt, alia abeunt  
peregrinè.

§. 10. Abeunt ergò quædam hirundines in terras calidas, nem- alie in ter-  
pe ex illis regionibus, unde non plurimum itineris sit conficien- ras calidas  
dum. Nam in Epigrammate Archiæ lib. I. Anthol. c. 87. *αι φίλοι* avolant.  
*τρόγλιας*, ubi hirundo

*εἰς τὸν οὐρανὸν πέντε διπλαύσιν*  
totam terram atque insulas volando pervagata proponitur, poëticam  
hyberbolem nemo nou videt. Maria tamen eam transvolare Isido-  
rus & Bartholomæus Anglicus scribunt.

§. 11. Nec videtur Jeremias c. 8. v. 7. aliud indicare, iudicio pl.  
Rev. Ursini, cùm hirundinem inter eas recensuit aves, qvas longin-  
qua petere extra dubietatis aleam est. Nec diversam ob cau-  
sam *τρόγλιας*, hospes vel peregrina audit in epigrammate *εἰς τὸν οὐρανὸν*, qvod

est ultimum c. 60. lib. i. Anthol. quādā qvā terras terris mutare dicit.

§. 12. Anacreon ad Nilum vel Memphīn hybernare facit hirundinem his versiculis, εἰς χελιδόνα:

χελιδόνη δὲ τοσαῦτη  
ἡ Νεῖλος ἡ τοι μέρουσ

Qvō pertinet, qvēd nonnulli in Africam convolare putant apud Brodūm ad l.c. Anthol. fol. m. 126. nisi qvod hēc de aliis, qvādā nostrarū regionū hirundinibus interpretanda veniunt. Qvomodo & Raderofides constet, qvi eas auctoritate Plinii ex Africā mare transeuntes apperente vere ad nos advolare tradit.

§. 13. Fuit ante annos viginti ( Ursino adnotante ) qvi edito commentariolo serio visus est affirmare, *Hirundines abvolare in Indianam*, argumento lepidā Historiæ, qvā sic habet: Monachus qvidam in cellā sūa hospitem habebat hirundinem per aliquot annos. Cūm sub hiemem semper abyolaret, incidit ei cogitatio, explorare ne posset, qvo se interim deportaret? Schedulam capti pedi affixit, in qvā scripsérat: *Ubi hyemasti?* Redux aliam proximo vere retulit, in qvā hēc legebantur: *In India in domo Sutoris.* Rem ita gestam derjabat testis in *Actis de Natura*.

*alio occul-*  
*bantur.*

§. 14. Sed nostras hirundines, h.e. qvi in Germaniā & vicinis locis sunt, ad Indos volare, credat, cui libitum est. Latibula eas qvarere, in qvibus qvāsi morū & hyemem totā transigant, tot testimoniūs compertum est. ut hiscere contrā non liceat. Atqve de his exaudiendus Heidsfeldius & apud Heldorfū innotinatus auctor, qvi sub hyemem avolare hirundines ( in calidas regiones ) negant. Eustriatius latibulum earum in genere παρθενούς ὑποκείμενος vocat.

§. 15. Fallitur Bodinus, qvi omnibus istis, etiam qvā in Galliā sunt, unicum perfugium sub rupibus Mari Baltico, imminentibus dare videtur. Nam & multa sunt latibulorum genera nec probabile est, Gallicas præsertim hirundines, cū domi latere possint, tantum iter suscipere.

§. 16. Possumus dare auctores idoneos, qvi eas in midis suis, in cavernis ædium, turrium, arborum, montium, vallium, petrarum, qvīn littorum qvoq; & qvod mireris, ipso aquarum fundo, hibernare adstruant.

§. 17. In

§. 17. In nidis inquam, aut certè intrà adficia restituant quædam. *In nidis sibi*:  
Georgius Major teste B. Gerhardo refert, scilicet Witebergæ in templo ~~aut domi-~~  
arcis sub vetustâ quâdam tabulâ (Franzius habet, in nidis) tempore ~~bis.~~

hyemis congregabat hirundinum congeriem invenisse. Apud Ne-  
andrum D. Huckel Spiræ in adibüs Soceri Walsburgii narratur, re-  
perisse ingentem hirundinum globum. Anonymus apud Heldorfum:  
*comperi, inquit, latere hyeme Hirundines in nido suo tanquam*  
*mortuas; In nidis etiam Riccius, Elverus, Heidsfeldius relinqunt, in*  
*turriū foraminibus Ursinūs.*

§. 18. Singulare quid Martialis narrat, abeuntibus cæteris in  
nido unicam remansisse: sed eandem postea altero vere à redeun-  
tibus male exceptam periisse.

*Hibernos pesterent solito cum more recessus*

*Attibides, in nidis una remansit avis.*

*De prendere nefas ad tempora verna reverse,*

*Et profugam volucres diripiuerè sue.*

*Serò dedit pœnas: discerpi noxia mater*

*Debuerat, sed tunc, cum laceravit Itym.*

§. 19. Aliæ in cavis arborum occultantur. Claudio:

*Arboris immoritur trunco brumalis hirundo.*

*In cavis*

*arborum*

Pisides oppidò eleganter:

*Kαὶ δέρδης ἐγεῖται οὐκαν τεχνάστως.*

*Kαὶ σπεργυνέται οὐρεθῆται τῷ ξύλῳ.*

Albertus, Elvero citatus, observavit, quod hirundines brumali tem-  
pore in plantis quibusdam concavis se abdiderint, atque hoc dicit  
accidisse in superioris Germania quâdam sylva, ubi incisa quercus  
putrida inventa sit plena hirundinibus. Similia apud Raderum fide  
Augustini Niphi, Franzium, Heldorfum, Ranzovium legas.

§. 20. De angustiis convallium locum Philosophi supra §. 8. ex-  
hibuimus. Qven si respexit, ut credibile est, Plinius, cur *τὰ ἄγρα*  
apricos montium recessus reddiderit, ignoramus: Chiffletianus (*Plinii lo-*  
apud Dalechampi codex pro *apricos* habet *Agrico*. Qvod de ven-*cus excuti-*  
to exponendum videatur. Sed is apud Aristotelem nullus hoc lo-*tur.*)  
co. *Apertos, vel opertos recessus si legamus, facile cum eo Plinium re-*  
ducemus in gratiam. Sic enim vallium cava intelligere licebit.

§. 21. Et quis credat, hanc anni tempestate aprica sectari hirun-  
dinem,

dinem, & non potius ab aspectu cœli defensos locos? Qvaleſ profectò ſunt omnes illi, in qvibus cam occulta, eſe exploratum eſt. Re-  
*Montium*; Etè Franzius, alia Plinii verba dum ſua facit, hoc omittit: *Quedam*,  
inquit, in montes aliquos propinquos recedunt & latent, reperiuntur q̄d  
implumes & nude in petris & angustis convallium. Nam in altis monti-  
bus abdere ſe avem noſtram, etiam Ranzovio creditimus. Sed hic  
non aprica nominare oportet, verum cum Ursino *foramina monti-um*. Qui & huic accommodat illud Gregorii Nazianzeni Carm. de  
vitæ vanit. ab ſe verſum:

*Oſi pura Columbia forem, ſi triftis hirundo!*

*Tot varia infide fagerem discriminata lucis*

*Atq; inter cava quadrupedum, nemorosa ferarum.*

*Hoc avi colerem, quodcunq; eſt.*

*Petrarum*; §. 22. *Quedam* ait Frantzius, ſeſe occultant in locis ſaxoſis. Bodiu-  
nus ad oras maritimās gregatim ferri: ac ſubaltissimis rupeſibus ac pro-  
montoriis mari imminentibus delitescere aſſerit. Maris enim Balticī  
piaſatores & accolas cum ſuccinum ſubrupeſibus legerent, hirundinum-  
*Litorum*; cumulos deprebendiffe. Sub littoribus abſcondi, apud Neandrum le-  
gas; in fluminum ripis apud Elverum.

*In aquis*; §. 23. In ipsam aqua profunditatem demitti quasdam, miraculi  
ſpeciem habet. Quare & Neander & Barthius admodum dubitan-  
ter hoc commemorant, Bodinus autem planè fieri poſſe negat. Sed  
hujus ratio poſteā examinabitur. Hic tantum cumulabimus expe-  
rientialias. Qvibus tam multis, tam proborum hominum, tam accura-  
tē circumſtantias addentibus, contradicere temerarium ſit.

§. 24. Ac primò Bodinus ipſe & Neander atq; Barthius prode-  
ant, & qvid audiverint, aperiant nobis: Fuere nonnulli qui renunciā-  
runt, Hirundines fundū ipſum maris petere, atq; illic obdormire. Bodinuſ.  
Alii exempla etiam recitant, quod in globos collecte in profundum  
aquaſarum ſe dejiciant, aut ſub littoribus abſcondant mortue usq; ad tem-  
pus vernum, quo reviviscant denō. Ac pueri etiamnum andivimus re-  
citari, ut verum ac omnino certum, piaſatores compertum, ac ſingulis  
annis obſervatum, quod in autumno prop̄e oppidum Beske, in finibus  
Marchię ſtūm, quod olim paruit Dominis Soravienſibus, Baronibus à  
Biberſtein, in stagnum quoddam profundum ſe dimittant conglomera-  
re arboribus delapse, qua ad stagnum illud excreverunt. Ac inde extra-  
hantur

bantur sepè tempore hyberno in magno numero à Piscatoribus, sed in-  
vitis, ut qui magnō studio declinent eum locum, ubi cubare solent, pro-  
pterea, quod ibi pīces sint nulli, nec ulli ibidem cupiantur: resurgant au-  
tem inde ac prodeant tempore verno, non gregatim, sed sigillatim una post  
aliā. Atq; hæc sic quidem referebantur pāsim. Ac nuper admodum vi-  
rum senem audivimus, qui eadem nobis de eodem stagno, ut verū, com-  
memorabat, Neander. A nostrorum hominum nonnullis narrari me-  
mini, formas induere nescio quales Piscatorum, ita in ripis fluminum  
usq; ad spirantem Favonium delitescere: Eo verēvehente se usq; rursum  
implumescere, & avium se choro velut postlimino restituere. Alii flu-  
mina quidem subire persuasum habent, sed in iis tuberculī quodam vela-  
mine obvelatas latere, uligine obrutas, & in latebras rīpestres correpero  
quām profundissimas, Barthius.

§. 25. His iam accēdant testes alii. Lutherus: *Hoc miraculum*  
de hirundinibus nū notum est, quod hirundines in aquis per hyemem  
mortua jacent, & sub astatem reviviscunt. Franzius: *Quædam circā*  
maria se submergunt. Olaus Magnus: In Septentrionalibus aquis se-  
piùs casu pīscatoris extrahuntur hirundines in modum conglomeratæ  
massæ: que ore ad os, & alā ad alam & pede ad pedem post principiū  
autumnī se inter cannas descensura colligantur. Notatum est, eas eo  
tempore suavisimo completo cantu taliter descendere. Schvenckfelt,  
cūm Olaum citasset, Idem, inquit, Pīscatores in Borussia observarunt  
extrahentes hirundinum copiam. Similia de hirundinibus in Poloniā  
ex Hermete Politico Julii Belli profert Zeillerus. Ranzovius: *Nostrī*  
*Pīscatores sapienter hiemem retibus extrahunt hirundines in globum*  
*complicatas, quarum singula grāmen in rostro tenent.*

§. 26. Sed cūm varia sint hirundinum genera (memorantur *An omnia*  
enīm *domestica*, *agrestes*, *reparie* & *muraria*) quārī potest omnibus *omnibus la-*  
*ne* quālibet latibula, an certa certis convenientia? Equidem eandem *tibula com-*  
*serē esse omnium naturam tūm accessu, tūm discessu Bodinus af-* *muniā?*  
serit. Sed ab eo jam §. 15. dissensimus, unicūm tantū universo hi-  
rundinū generi persugium concedente. Unde locus relinqvitur  
disquisitioni ulteriori.

§. 27. Enīm verō qvotqvot in ipsis domibus hibernare depre-  
henduntur, *domesticas* aut *agrestes* esse vix dubitem: solas, haud fa-  
cile dixerim. Sic & *Murarias* in cavernis murorum aut scopulo-  
rum;

rum; riparias in ripis aut aquis libentissime occultari, probabile est.  
De ripariâ disertè Schvven ckfelt: *Hyberno tempore in ripis latet flum-  
inum, lacuum, paludum, & in litoribus ac scopulis maris.* Unde acci-  
dit, ut pescatores interdum ita inter se junctas ex aquis extrahant. An  
autem omnes, quæ ex aquis extrahuntur, riparia sint, optimè expe-  
diant aves. Tacent hâc de re ii, quos consuluimus, scriptores: nos  
*et in aqua.*

*quales sint* §. 28. Proximum est ut videamus, quales degant in illis latibus  
in latibus. Mutuis complexibus coherentes Bodinus facit. Prisidæ hoc est  
*avis medley.* Concinnunt magno numero scriptores alii, quos hactenus  
conglobate; descripsimus, è quibus pricipue congregandi modum Olaus ex-  
presit.

§. 29. Non dubium, hâc constipatione hirundinum id quæri  
à naturâ, ut eò melius à frigore munitantur. Quare & de velamine  
illis prospectum est. Vide locum Barthii suprà §. 24. Et Heldenius  
cas, quæ in cava se ad mare stipites condunt, *foliis aridis, muscoq; ob-  
rectas latere* scribit.

§. 30. Nec tamen omnes congregantur. Sunt enim excipiendæ  
ex, quas §. 17. & 18. in nidis remanere testatum fecimus. Et ad has  
illud item pertinet, quod anonymous apud Heldenium narrat:  
*Totam hyemem habent secum recentia ova.* Cujus tamen rei fides sit  
apud auctorem.

§. 31. Porro in convallis deplumies quasdam hirundines re-  
pertæ esse, scribit Aristoteles. Sed Bodinus in eo falli eum ait, si hoc  
modo vivere putaverit. Nimirum hæ tales pro mortuis habentur à  
Bodino, quæ spirantibus Coris perierint ab imbris frigidis. Pu-  
tes etiam à ratione postulari, ne avis, quæ per hyemem servanda sit,  
plumis exuatur. Jam & illæ, quæ apud Neandrum in ædibus reper-  
tae, quæ item apud Olauum aquis extractæ sunt, delatae in vaporari-  
um, non revixerunt modò, sed & volare cœperunt: ut certum sit,  
deplumies non fuisse.

§. 32. Statuamus ergo, non omnes certè pennis nudari. Neque  
tamen satis causa est, cur quasdam, quæ redire debeant, deplumari  
negemus. Nam & cuculum Neander affirmat, hiberno tempore in  
cavâ salicis arbore nudum reperi, ac reviviscere admotum forna-  
ci: Turturum quoque pennis amittere. Plinius autor est; & de hirun-  
dine

*an ovæ se-  
cum habe-  
ant?  
quædam  
deplumies;*

dine implumi, præter Aristotelem, testes habemus alios. Omitto Plinii.  
Claudianus:

--- gelidis plumâ labente pruinis  
*Arboris immortitur trunko brumalis Hirundo.*

Pisides: *καὶ τὸν πλεῖστον ἐνδιδύοντας σχέπτω.*

Ursinus: *Hirundines renatis plumis & pennis redeunt vocales.*

Et hoc videtur opinionem qvorundam adjuvisse, qvi crederent, hirundines in nescio qvod pisciculorum genus mutari, ut è Barthio referebamus supra.

§. 33. Peculiare est, qvod Ranzovius narrat de Hirundinibus, *quædame*  
qvas Cimbrici pescatores extrahunt, singulas gramen rostris tene-*ore gramen*  
re. *Cujus autem generis, inquit, id gramen sit, summâ diligentia inqui-*  
*ram ipse, & per alios inquit curabo. Non enim dubito, quin illud sit pe-*  
*cularis cuiusdam efficacie ac virtutis, ipsi à naturâ indita.*

§. 34. Nunc quam vitam in latibulis suis vivant hirundines, *in vivere eas*  
qviramus. Non enim mortuas esse, (si propriè loquamur,) argu-*probat*ur.  
mento est, qvòd hypocusto calido illatæ manifestas vitaæ actiones  
edunt, ut à Majore & Neandro proditum est: ab Olao item & Ran-  
zovio, qvi addunt tamen, sic restitutas, ob immaturam acceleratio-  
nem non durare.

§. 35. Sanè *eadem esse* redeuntes cum discedentibus, sive cor-  
pus, sive animam respicias, doceri potest. De corpore Franzium au-  
diamus; *Aliqui sunt, qui hirundinibus rubra filia alligarent.* Et si antem  
per totam hyemen non conspiciebantur istæ hirundines, tamen sub initi-  
um veris redibant, & habebant illud ipsum filum rubrum. Et hinc etiam  
de animâ rem persuadeas. Nam, si eadem corpora, etiam eadem  
animas referunt. Animarum enim *metayyionos* diu à christiane philo-  
sophantibus explosus est.

§. 36. Sed & de animâ sigillatim inde probes, qvia cùm redeunt,  
veterem nidum qvælibet repetit. Retinuit ergò ejus speciem in me-  
moriâ (memoriam illis ob hoc tribuit Claudianus, Mamertus lib. I.  
de statu animæ c. 21.) Qvod non esset, si novam animam afferret.  
Solet enim eodem memoriz argumento probari, animal per omnē  
statem, etsi forte partes materiales sint in perpetuo fluxu, idem  
numero manere. Vide Zabarell. c. 13, de accret. p. 793.

§. 37. Qvaræ & Bodinus hâc ratione inter alias premit errorem *non meri* &

**alias renascentia.** putantium, mori veteres hirundines, ex eorum vero reliquiis prognosci quod tannis novas. Non defuerunt, inquit, qui hirundines omnes in mari perire arbitrarentur, & ex eorum cadaveribus in littus ejetis alias renasci. Quid quia quod tannis accidet, latere posset neminem. Praterea qui fieri posset, ut majorum demos ac nidos tot per agratis regionibus repererent, si in littoribus nascerentur? aut cur ovis exclusis gentis propagarent? Male idem Bodinus p. 409. hanc hirundinum memoriam cum reminiscientia confundit.

**Solvuntur duo dubia:** §. 38. Sed de vita hirundinum, earum praecipue, quae sub aqua degunt, duas se offerunt dubitationes. Nam & sub eo elemento refrigerandi facultatem intercludi necesse est: neque ibi a frigore satis tutae videantur.

**primum,** §. 39. Verum salva est. Prius de frigore dicimus. Certum est, quia forte hanc ipsam ob causam subducere se a publico hirundines, quod tenerior sit eorum natura, quam quae ceteri nostri hiberni inclem tam ferre possit. Itaque loca, ubi serventur, convenientem habere reportis gradum optinet. Acta esse cavernas aedium, petrarum, montium, atque similes, nemo dubitat.

**quod negatur.**

§. 40. De oris maritimis Bodinus sic differit: si in maritimis locis aliquandiu consideris, senties ea loca semper ab astu maris tepescere, atque interdum tempestatibus invalescere: nam mare fere semper ventis agitur, agitatum intumescit, ac pro calore sic servetur, ut balneum esse potest: ex quo fit, ut proxima quaeque loca calore tepescant. Franzius aliam causam affert: cum mare sit falsum, ideo vicina loca calefacti.

§. 41. Quid vero ad fundum aqua attinet, quemadmodum terras, sic & aquas per hiemem in profunditate minus frigidas esse, quam in superficie, consentaneum est. Accedit jam arcta illa hirundinum mutuo se confoventum glomeratio, in qua illis ad vitalem propositum calorem tuendum dubio procul non patrum praefidii est.

**secundum,** §. 42. Venio ad argumentum a respiratione sub undis denegatum ductum. Quid adeo validum ratus est Bodinus, ut ideo nunciantibus, hirundines fundum maris petere, planè abrogarit fidem. Per naturam, ait, fieri nullo modo potest: cum hirundini pulmones insint, & aqua immerse omnino pereant. Quin etiam glires sopore sepulti, si in aquam mergantur, repente exilunt. Praesupposuit nempe, nullum animal, quod pulmones habeat, vivere posse, nisi respiret.

§. 43.

§. 43. Atqui hoc falso esse probant embryones, quos in utero quod con-  
non respirare, communis assertio est: probant hysterica mulieres, ceduntur, sed  
quæ vivunt sine respiratione ad tempus: probant ecstatiæ: pro-negatur  
bant pī qvidam & contemplativi apud Fromondum lib. II. de animi consequen-  
tia.  
c. 5. articul. 4. p. 304.

§. 44. Nimirum dari potest in animali pulmonibus prædicto sta-  
tus, in quo vel ob debilem cordis calorem (quod & in hirundini-  
bus nostris locum habeat) vel aliam ob causam absq; respiratione  
(quam alioqui ad vitam conservandam simpliciter necessariam ef-  
fe, negat Horstius lib. II. de nat. hum. exere. 4. q. 9. p. 393.) vivi pos-  
sit. Apertè prō nobis sententiam dicit Andr. Laurentius lib. VIII.  
hist. anat. q. 26. f. 323. Quæ per hyemem in latibulis degunt, transfrant,  
non respirant, & post: vivunt namq; & rā φωλίνονται ξεν., & mulieres  
quædam sine co thoracis motu.

§. 45. Sic enim est: non solæ hirundines, sed & alia φωλίνοντα vi-  
vere possunt, etiamsi spiricum non ducant. Nam & ciconias sub a-  
qvæs hibernare, probatum dedit ante biennium M. Joh. Prætorius  
Disp. de Crotalistria s. 4. Sed hic non assentimur Baptista Fulgoſe  
(lib. i. memorab. c. 6. tit. de avibus) putanti, eas sub aqvæ aliquo  
modo spirandi viam habere. Eadem eum hypothesis, quæ & Bodin-  
num, fecellit, vivi à talibus, nisi respirent, non posse.

§. 46. At nos probabimus, eas quoq; hirundinum, quæ extra  
aqvas latent, respirandi officium non usurpare. Qvì enim hoc faci-  
ant illæ, quæ in istis globis sunt intimæ? De qvib; si, quod volu-  
mus, habemus, ad ceteras facile proferemus argumentum.

§. 47. De gliris quod affert Bodinus, *ad hanc*. Ne glires  
quidem respirare, hâc ratione probaverit, nisi putet, eadē confici  
posse, pisces quoq; mortuos facere, quod vivi non possunt, hoc est,  
respirare.

§. 48. Vivunt ergo in latibulis suis hirundines, ne quis vel extin-  
gvi planè putet animas earum, vel è corporibus nescio quò avolare *qualsis sit*  
interim, & regressum exspectare deliret. Vivunt inq;am, sed similē *earum vita?*  
cum hibernis arboribus vitam. Inest illis anima, sed justo caloris  
gradu destituta sensum, motum, nutritionē & respirationem inter-  
mittit, satisq; habet corpus à putredine defendere: magno divinæ  
sapientiæ documento, quæ aveū cibo aliisq; opportunitatibus or-  
batam

batam in eum statum compingit, sub quo moriendi tamen necessitatē eludat, ac se futurā veri reservet.

S. 49. Etenim non mors propriè, non somnus vocari debet illè status, sed torpor. Quem interim mortis vel somni vocabulis appellare (habet enim aliquid utriq; simile, sed somno plus, morte minus,) figuratè loqui volentibus fas esto. Pulchrè Barthius *veterum morticinum* vocat: *sommum* Althelmus Barthio allegatus:

*Absq; cibo plures degebam marci a menses.*

*Sed sopor & somnus jejuna longa tulerunt.*

Qui moriendi verbo hīc utantur, passim legas. Sed hī nimirūm interpretandi ex illorum phrasī, quibus hirundo est *ia vesp̄*, ut Pisidax, tanquam, quasi, velut mortua, ut Heidfeldio, Riccio, Heldorfino.

S. 50. Videamus jam, quando redeant hirundines. Id cum vere fieri, qvoniā nemo ignorat, testimonia congerere supervacaneū est. Hinc *herā* vocatur in Epigr. *λέπτη*, quod S. II. citavimus. & à Simonde ap. Aristoph. f. 422. & Eustazio *αὔρα* *ταξιδεύει*. Cui favet Aelianus: *χειρίδαι τοῦ ἀργοῦ τοῦ αἰενὸς οὐρανού τοῦ ινδικοῦ*. Incertus apud Ranzoviū:

*Tempus ver hædus perulans & garrula hirundo*

*Indicas atq; (rectius &) sinus lattis & herba virens.*

Alciatus emblemate in quatuor anni tempora: *Ad nos vere nova garrula hirundo redit. Barthol. Anglicus ex Ambrofio: cuius aduentus indicium est veris. & testimonium instantis serenitatis festivalis.*

(locus Philemonis expositus.) S. 51. Neq; aliud innuit hic senarius Philemonis:

*μὲν χειρίδαι τοῦ θερετοῦ, ἡ γένει, λαβεῖ (al. λέγει.)*

Et autor ad Herenn. lib. I V. p. 39. *Hirundines festivo tempore praesō sunt*. Ubi æstatis vocabulo etiam ver comprehenditur. Nam veteres annum, veris atque autumni mentione omisssâ, in hyemem modò & æstatem dividebant. Vid. Ludov. de la Cerda ad I. Georg. v. 291. & I. Æne. v. ultim. cuius observationem hīc luculenter adjuvabimus ex Anacreonte & Pisidâ de hirundine nostrâ loquentibus.

Ille: *θέρετος πεδίου, χειρῶν δὲ τῆς ἀφανεύσης.*

Hic: *μὲν τῷ θέρετος πεδίῳ λύγειαν ποιεῖται,*

*ὅταν τὴν κειμένων σεβάλῃ, συστήταται.*

Vides utriqve æstatem pro vere, hiemem pro autumno usurpari. Quare fallitur Alinos, qui Philemonis illum versum de æstate, quæ veri opponitur, intelligit. Neq; satisfacit Simeo Bosius animadv. ad Cic. X.

Cic. X ad Att. Epist. 18. Philemonem inde interpretans, qvia hirundines trinare non soleant initio veris, sed vere jam adulto. Sanè enim, si ver ab æstate distingvamus, ne adultum quidem ver ætas vocari debet.

§. 52. In eo ergò consensus est, hirundinem verno tempore re- Sed alibi  
ducem fieri. At verò si de mense ac die perconteris, diversa respon- alio mense:  
deri videoas. Nimurum qvia non sub omni cœlo pari celeritate ver-  
nus tempor se profert. Itaq; apud nos tardior, qvam apud Romanos  
aut Græcos hirundinum adventus celebratur.

§. 53. Hesiodo post ortum Aëturi vespertinum

Februarie;

*εργίαν αὔριον οὐ πρόχειραί εἰς φάσις αὐτὸν πάντως, λέγεται οὐκέπενον.*  
Non multum abit Plinius: VIII. Calend. [Martii] hirundinis visus,  
& postero die Arcturi ex ortu vespertino signans. Alibi: Favonium qui-  
dam ad VII. Cal. Martii Chelidonian vocant, ab hirundinis viso, non-  
nulli verò Ornithian- Columella XI. de rerust. c. 2. VII. Cal. Marr.  
ventos a tempesta hirundo conspicitur. Sed paulò ante: X. Cal. Mart.  
tui venti septentrionales [cur sic vocet, inqvirit Woverius c. XI.  
Polym. p. 84. emendandus in libro Columellæ, qvi vitiosè citatur  
XII.] qui vocantur Ornithia, per dies triginta esse solent, tūm & hi-  
rundo advenit. Hæc omnia consentiunt in Februarium. Unde Ca-  
lendaria Romana adventum hirundinum huic mensi inscribunt. Et  
Ovidius in fine secundi Fastorum, qvi est de Februario: Fallitur, an  
veris prænūcia venit hirundo?

§. 54. At apud nos Martio demum mense, ut habent Raderus Martius;  
& Ranzovius, aut Aprili, ut Schyvenckfelt, conspiuntur hirundi- Aprilis;  
nes. Imò in aquilonaribus regionibus ne hi quidem menses satis  
tempestivi huic avitio, ut Majum sèpè expectare oporteat. Olaum Majo.  
audiamus: Accidit tempore verno liberè revertentes superveniente  
horridâ hyeme cum denso casu nivium omnes pariter emori, ut nulla in-  
tectis aut fluminum ripistotâ eâ æstate videantur, prater paucissimas,  
tardius a profundioribus aquis ascendentis, aut aliunde peregrinantes,  
qve natura beneficio sôbolem reparature hyeme penitus in Majo solutâ  
advolare cernantur.

§. 55. Qvod ergò Bodinus totos sex menses latere scribit hirun-  
dines sub rupibus Balticis, ab autumnali videlicet æquinoctio ad  
vernus, in eo si forte Plinium seqvi voluit, qvi cap. 25. lib. X. seme-  
stres

fries facit hirundines, meminisse debebat de Italiz sue hirundinibus, non nostris, Plinium loqui.

etiam mura  
ria tar  
dius.

quomodo  
redeant?

quibus so  
ciis?

USUS  
GRAM  
MATI  
CUS

Chelidonias.  
Chelidoneas.

§. 56. Alias non ob climatum modum sed ipsarum hirundinum diversitatem redeundi tempora discrepant. Nam hirundines muraaria (ex observatione Schyvenckfelti) & maturius, mox post D. Jacobifestivitatem recedunt, & tardius, scilicet Mayo, revertuntur.

§. 57. Resurgunt autem ac prodeunt e latibulis non gregatim, sed sigillatim, una post aliam. Neand. & Ranzov. Inde nimis est, ut negari possit, unam hirundinem ver statim facere. Ubi redierunt, cantu prisinis nidis applaudere & sibi gratulari videntur mirifico, vario, & quasi articulato, ut verbis etiam quibusdam suum gaudium testari videatur vulgo, Schyvenckfelt.

§. 58. Reditum hirundinum duas res notabilem faciunt, Chelidonias ventus, & herba Chelidonia. Solet enim hic ventus, haec herba cum hirundinibus surgere. Sed hinc commodè capiemus practicæ partis initium.

#### PARS PRACTICA.

§. 59. Hoc scilicet Grammaticis profuit hirundinum redditus, ut ab illis, vento atque herba nomen inderent. De vento *Chelidonia*, qui & singularis & plurativis *Chelidoniae*, Plinii & Columellæ locos §. 53. dedimus. Hirundinum latinè vertas aut *avarium*, quâ voce & Boding utitur.

§. 60. Ad herbam quod attrinet, eam græcis *Chelidonium*, Plinius tūm alibi, tūm iib. XXV. c. 8. feminino genere *Chelidonium* vocat, ubi duo ejus genera ponens, majorem & minorem, de ambobus ait: *Florent adventu hirundinum, discisu marcescunt*. Idem Dioscorides habet lib. II. c. 176. sed addit, hinc ipsi herbae nomen factum videri, conserendum cum Theophrasto fin. lib. VII. de plantis.

§. 61. Alii causam nominis inde arcescunt, quod eā herbā oculis pullorum admotā, visum restituant hirundines. Apertè huic etymo favet Pisides. Res ipsa alioqui decantata. Sed Celsus lib. VI. c. 6. in fine fabulam vocat: quem sequitur *Rollenbagius* c. 14. Glaubw. Eleg. n. 14. p. 169. Suspicionem moveat *Aelianus* quoque, dum lib. III. de animal. c. 25. nec nominat eam herbam, & negat, eā unquam homines potiri potuisse, licet id vehementer concupiverint.

§. 62. Hoc interim certum, Chelidonium ab Hirundine nomen accepisse. Quare & hirundinaria Theophrasti interpres Gaza vertit. *At imperisti, præsertim chymista, quod Græci nominis vim ignorent, non che-*

chelidonium, sed coeli donum appellitant. Quā postea falsā nominis  
præstantiā freti, ex hāc herbā quādam quintam essentiam fieri predi-  
cant. Matthiol. ad Diosc. f. m. 629.

§. 63. Grammaticos Poëtæ excipient & Rhetores. Qvibus historia POETI  
hirundinum ad emblemata, enigmata, descriptiones, allusiones, CÜS &  
proverbia mirificè inservit. Initium *enigmati* Aldhelmi è s. 49. re- RHETO-  
petatur; §. seq. versiculum etiam ex *Emblemate Alciati* posuimus: RICUS,  
neq; hic denuò inculcare placet *descriptionem Calvi*, qvem Clau-  
dianus, s. 32. nobis citatus, deplumi comparat hirundini.

§. 64. Notissimum est proverbium: *una hirundo non facit ver.* A- Proverb:  
ristoteli qvoq; in Ethicis usū patum, ubi definitionem Beatitudinis *μάλα καὶ οὐδὲν*  
exponit. Utimur eo, qvoties aliquā copiā & multitudine opus esse *ιαγῆ τοῦτο*.  
significamus: *siquidem fieri potest, ut una quāpiam hirundo casu ma-*  
*turīus appareat.* Erasm. adag. 694. Cum hoc proverbio illud Aristopha-  
nis in avibus f. 422. δέ θεοί εἰσιν ἐπί της χελιδόνων, Scholiaſtes  
comparat. Fortassē Comicus ſimil alluſit ad Peloponnesiorum  
nummos argenteos, qvi *χελιδόνες* appellabantur.

§. 65. Qui appendicem dedit ad Chiliades Erasmi adag. 32. ver-  
sum Aristophanis ſic exprimit: *opus est Zephyris & hirundine multā:*  
haud dubiè ex illo *Horatii* verba mutuatus I. Epift. 7.  
te, dulcis amice, reviset

*Cum Zephyris, si concedes, & hirundine primā.*

Hirundo

Ubi ver primum significatur. Nihil frequentius, qvā ver hirundi- pro vere.  
nis mentione designare. Apud Aristoph. ineqvitibus f. 213. *καὶ χελιδ-*  
*όν* est, *αντε quam ver ineat.* Narraverat ibi quidā f. præc. qvemadmo-  
dum callido furto coqvis carnes surripuerit, dum ab fe excitati no-  
va hirundini vidend & intenti sunt. Aguoscitur & ibi adagionis qvā-  
dam species, de qvā varii varia: qvos hic excutere non vacat. Vide-  
antur interim præter *Scholæſten Suidas in Nizachidas*, Jo. Hartung Dec.  
II. mem. c. 5. n. 5. apud Gruter. Tom. II. Thes. crit. p. 682. Erasm.  
adag. 559. Hadr. Junius adag. 621. Minos.

§. 66. Illud qvoq; Ciceronis in Verrem ſcomma VII. Verr. p. 113. *Locus Ci-*  
*satione vobis magnam pecuniam Venerius homo, qui ē Chelidonis ſinu in ceteris,*  
*provinciam profectus eſſet, Veneris nomine quæſiſſe videtur?* Asconius ex  
hirundinis & veris amicitiā interpretandum cœſet: cui Pierius ad-  
ſipulatur in Hierogl. Fuerat enim *Verri Chelidon* meretricula in

delitiis, Veri scil. Hirundo. Sed verius est fortasse alludi ad sinum aliquem maris, sive à Chelidonio promontorio, sive ab insulis Chelidoniis denominatum.

*Alii duo  
ejusdem.*

§. 67. Alii duo loci sunt Ciceronis in Epistolis ad Att. Unus lib. IX. Epist. penult. ex parte quidem λαλαρέων illam tuam. Alter lib. X. Ep. 2. λαλαρέων jam adeōt. λαλαρέων Hirundinis est Epitheton in epigr. Leonide lib. I. Anthol. c. 46. resolutio, ubi opportunatatem navigandi pulcherrimis versiculis describit mentione facta tūm aliorum signorum, tūm hirundinis revertit. Quid faciunt & alia, quā ibi sequntur, Epigrammata complusecula, svariissimo certaminis cūjusdam poetici exemplo. Est enim vere tempestiva navigatio: veris autem nuncia hirundo. Credibile est, Ciceronem ab Attico monitum fuisse, ne ante adventum λαλαρέων, h. e. hirundinis, navigaret. Huic ergo respondet Cicero. Sed græca vox scēdē legitur depravata. Nos Sim. Bosii emendationem retinuimus, quam nec veram esse dubitamus, & ex Anthol. confirmare sumus conati.

## POLITI- CUS.

*χειδονίζετο*

## OECO- NOMI- CUS.

§. 68. Atq; hinc etiam rationem reddeimus moris cūjusdam apud Rhodios, nauticum videlicet populū, ut à Floro II. 7. appellantur, qvibusq; adeō hirundo redux cūm vere publicè latandi causam afferret. Post hirundinis vīsum sinebant pueros ostiatim stipem, qvāsi pro hirundine, cogere, carmen qvoddam cantillantes, cūjus initium: ἡλις, ἡλις χειδόν, καὶ δὲ τὸν ἡλιον, τοῦ ηγετος ἐναντός: Venit, venit hirundo, fansti temporis omen, annorumq; bonorum. Id vocabant χειδονίζετο. Vid. Athena lib. VIII. f. 360. & ibi Casaub. c. 15. f. 628. & ex eo Pontan. Bellar. Attic. p. 791. Reddūs enim hic eum morem expōnit Pontanus, qvām in annot. ad Prog. 17. primæ tertii p. m. 313. ubi χειδονίζετο putat esse sub tempore vernum hirundinem invitare. Credas eum hoc ex Pierio descriptisse, utriq; autem hunc errorem Erasmus adag 559. prævisse, qui ἡλις, sic vertit qvāsi scriptum foret, ἡλις.

§. 69. Habuimus usum Politicum, sequitur Oeconomicus. Apud Aristophanem ( Pierio teste ) hirundo chlænam vendere, theristrum emere svadet, præteriisse qvippe hyemem, adesse verò & statē. Itaq; vulgus hirundinum adventu gaudet, & hospitio illas libenter suscipit, & zidos illarum religiosos esse existimat, Ranzov. superstitione fortasse nimia, de qvā Ursinus & Schwenckfeld. Agricolæ ex earum nidis sublimis vel depressus adificatis prognosticon capiunt, an in valibus, an in monti-

montibus vel collibus, Propter imbruum incrementum vel decremen-  
tum) sint seminaturi. Imo nec bonum omen capiunt incole ex tellis, ubi  
hirundines habitare perhorrescant, quia ead culmina casura creduntur,  
Olaus. Plinius quoq; signum Asturi orientis servari jubet hirundi-  
num abitu, namq; deprehensas interire.

§. 70. In *Moralē doctrinā* ambiguus hirundinū usus est. Jam enim ETHICUS  
virtutis, jam vitii simulacra in illis proponuntur. Symbolo qvidem *Hirundo*  
Pythagoræ infamata sunt, qui eas vetuit habere ὄμοιος ejusdē te- *Symboli am-*  
ici consortes. Ubi *Hieronymus* *Apol.* adversus Rufin. Tom. III, fol. garruli,  
112. garrulos & verbosos; *Plutarchus* VIII. Symp. 7. inconstantes inconfan-  
principuē & ingratōs notari autūmat. Abit enim nullā relatā gratiā tis ingratī,  
communitati hospitiū. Qvō & illud *auctoris ad Herenn.* lib. IV. p. 39.  
(non enim hoc est in Lælio Ciceronis, ut Franzius & Elverus citant)  
accommodari solet, falsos amicos hirundinibus comparantis, qui, *falsi amici*,  
simil atq; hyemem fortunæ viderint, devolent omnes. Plura de hoc  
Pythagoræ Symbolo qvare apud Erasm. adag. 2. n. 21. Pierium, Mi-  
noē ad Alc. p. 32. Jac. *Maser.* Spec. Imag. lib. VI. c. 8. §. 3. p. 590. Ursinū.

§. 71. Jam Plutarcho d. l. *hirundo* τῆ φρει est μοσθεωτό, ut qvix μοσθεώπε,  
neutiquam cicurari se patiatur. Contrà *Ælianu*s, φιλάθεων vocat, φιλαθέων,  
quia gaudeat homini esse ὄμοιος, in eamq; laudat, ab hominibus  
exerceri legem hospitalitatis Homericam, qvōd neq; ultrō venien-  
tem excludant, neq; cum ipsi commodum est, discedere volentem prohibeant.

§. 72. Ad ejus laudem illud quoq; proverbium spectat: πέδη ρε-  
λλίνο audi hirundinē: de qvo Snid. in mōs, Erasm. adag. 3153. Minos,  
Ursinus. Qvorum variis interpretationibus fas sit addere novam, sed  
huic loco convenientem. Jubemur hirundinem sciscitari. Sed qvid  
obsecrō ea dat oraculi? Docet hoc Artemidorus II. Oniroc. 71. his  
verbis: *Ubi ver accesserit, prima hirundo apparet, subindicans, ut ita*  
*dixerim, singula opera aggredienda: & sane ubi apparuerit, nunquam*  
*vespere canit, sed mane sole emergente, eos quos viventes deprehenderit,*  
*operum admonens.*

§. 73. Hacille. Qui iudeo somniantibus eam faustum facit, secus  
atq; alii, qui eā mortem, lugdum, tristitiam portendi asserebant. Ni-  
mirum & in divinatoriis artibus interdum lēti, sēpius tamen infe-  
licis ominis (vid. Penc. de divin. p. m. 382.) habita est hæc avis. Dio-  
nyso

ONIRO-  
MANT'  
CUS.

nyso quidem primū arcem relinquenti, hirundines que in eā nidiſſe  
caverant, simul avolantes redditum premonstrarunt, Ælian. X. de ani-  
mal. 34. Habere se hirundinis caput imaginari, peregrinationem signifi-  
cat, Pierius.

THEOLOGICUS.  
Hirundo imago Pœnitentiae;  
Resurrectionis.  
THEOLOGUS.  
S. 73. Sed abeant superstitiones! Finiemus in usq; sacro. Spiritus S. exemplo hirundinis ad pœnitentiani vocat, Jerem. VIII. v. 7.  
*Milvus in cœlo cognovit tempus suum: Turtur & birundo & ciconia con-ſtudierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit judicium Domini.* Resurrectionis imaginem in hirundine veneratur  
Pisides:

Ἄρεωπος ἡμέρα τὴν ἀδενούν καὶ δε  
λάλω θεωρεῖ ἐν ταῦταις χειρόποιαι.

Eadem mens Lutherio, Majori, Neandro, Gerhardo, Franzio, Elvero,  
Anonymo apud Heldelinum, Heidsfeldio. Atq; hæc de hybernaci-  
lis hirundinum sufficiant.

---

Ad Ornatis. Dñ. RESPONDENTE M.

M Ateries Tibi rara placet, qvæ digna videri  
Ingenio potuit, SCHMIDICHIANE tuō.  
Gratulor, & char am rarâ sub origine laudem  
Excipere ingenium gratulor inde tuum.

Joh. Itigius, Phil. & Med. D. Phys. P. P.

---

M Uſatua evigilat, quo tempore dormit Hirundo,  
An quia jam Zephyros ſpirat Apollo ſuos?  
Gratulab.

PRÆSES.

Q Vam latet hic brumæ furor indignantis Hirundo,  
Non finit in latebris Te laruisse suis.  
Scilicet ingenium res indagare latentes  
Addebet, ut latitans inde ſequatur honor.

in Regensburg depop.

M. Val. Alberti, Colleg. Mariani  
Collega.

SOLI DEO GLORIA!

94 A 7360

94 A 7360

ULB Halle

002 381 974

3



56.

V 7360

spiritu sancto et aperuit locum

**A**

omnes et omnia que mo-

num dicit idem auctor. Enon-

B.I.G.

Black

White 3/Color

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



66

IN NOMINE JESU!  
Dissertatio Philosophica,

DE  
**HIBERNACULIS**  
**HIRUNDINUM**

*Quam*

Consensu incluti Ordinis Sophici  
in Alma Lipsiensis,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

EXCELLENTISSIMI ATQUE CLARISSIMI

**DN. M. JACOBI THOMASII,**  
Philippeæ Dialectices Professoris celeberrimi, Col-  
legii Principum Minoris Collegiati Dignissimi, Præceptoris & Patroni  
sui ætatem devenerandi,

*Publica ventilationi subicit*

**CHRISTIANUS SCHMIDICHEN,**

Sittæ-Lusatus

MAGISTERII Candidatus,

A. & R.

*ad diem 4. Decembris*

ANNO

Partæ Salutis

M. D. C. L. V. I. I.

LIPSIAE,

LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS,

